

TESEO PINI

Speculum cerretanorum

a cura di Piero Tiraboschi

La Biblioteca di Don Quijote

DEDALUS

TESEO PINI

Speculum cerretanorum

a cura di Piero Tiraboschi

DEDALUS

Dedalus srl Napoli, 2000

No copyright

Edizioni Dedalus

via Pietro Castellino, 179 - 80131 Napoli

email: mc7980@mclink.it - proteus@mclink.it

I edizione: *Poetry wave* 1999

La manipolazione e/o la riproduzione (totale o parziale) e/o la diffusione telematica di quest'opera sono consentite a singoli o comunque a soggetti non costituiti come imprese di carattere editoriale, cinematografico o radio-televisivo.

Speculum cerretanorum

Reverendissimo in Christo Patri et Domino Domino Hieronymo Sanctutio Dignissimo Forosempronensi Episcopo, Ducatus Vicelegato, salutem plurimam dicit, sequentia commendat Theseus Pinus Urbinas.

Quoniam, R[everenda] D[ominatio], omnia discere licet propter scire ut boni probique homines ab improborum deceptionibus et hypocrisi se tueri valeant, quare Plato, ut Divus commemorat Hieronymus, tot provincias summo cum labore peragravit totque lustravit urbes, et cum cuique doctrinae Athenis potens videretur, magister peregre proficiscens, factus discipulus, aliena discere verecunde maluit quam sua ingerere impudenter. Apollonius ille, quem ferunt magum, sive philosophum appellant, quam varias adiisse, fertur, provincias, barbarosque sciscitasse mores, ut ubique, quod ignorabat, disceret, unde melior peritiorque fieret. Laudantur nonnulli alii clarissimi viri, varios hominum mores, diversos populorum ritus fuisse scrutatos, ut tot laboribus, itineribus, vigiliisque edocti, facilius et non imperiti, bene beateque vivere possent; malos autem mores ut perniciosa pestem evitare tradunt sacrae litterae quod Moyses et Daniel omni scientia Aegyptiorum et Caldeorum eruditii fuerunt. Legitur etiam quod praeccepit Dominus filiis Israel ut spoliarent Aegyptios omni auro et argento, allegorice docens ut sive aurum sapientiae, sive argentum eloquentiae, inventa in poetarum fabulis et fictionibus ad usum salubris nostrae doctrinae, vertere niterentur. Legunt quidam seculares litteras ad poetarum voluptatem figmentis (et) verborum ornatu delectati; quidam vero ad illustrandam mentem discunt, ut gentilium errores legendo detestentur et utilia, quae in eis inveniunt, tanquam rosas ex sentibus ad usum sacrae eruditionis devoti vertant: laudabiliter profecto ii secularibus litteris incumbunt, unde qui de mensa et vino regis renuerunt c comedere et bibere, ne gentium cibis vetitis in lege Domini polluerentur. Si sapientiam atque doctrinam

Babyloniorum scivissent esse peccatum, nunquam acquievissent discere, quod non licebat scire. Didicerunt autem, non ut sequerentur improbos mores, scilicet, ut indicarent atque convincerent: quis autem adversus mathematicos audebit scribere imperitus matheseos? Risui atque cachinnis patebit, qui adversus nos philosophantes disputat ignarus philosophantium dogmata.

Idcirco viciniora Cerretanorum loca incolens, varias ipsorum functiones ac deceptions, lenociniaque verborum, quas a Diabolo patre et magistro didicere, sciscitans a quodam legum interprete Ioanne cive Spoletano, cognomento Grandi, qui, ut asserit, cum illis turpissimam artem, non ad quaestum se ad risum bis in perusino agro, dum studio legum fuerat emancipatus, antequam ad doctoratus honorem fuisset elevatus, exercuit, et saepe ab illis, tamquam idoneus et facilis ad decipiendum requiritur, ut cum eis velit sese ad remotas mundi partes ad sanctuarium exercendam, hoc est ad quaestuarium usum, conferre: nec veriti sunt sibi promittere mille aureos ex anno quaestu. Tanti enim faciunt acumen ingenii ipsius, linguaeque dexteritatem. Is, cum quadam die ad me venisset, comperissetque mecum nonnullos egregios viros, et cerretanum quandam demonium habentem, me interrogavit, inquiens: «Videtur ne tibi, o Vicarie, magno viguisse ingenio is qui primum omnium turpissimum quaestum exercuit, et docuit aliena petere sub umbone amoris Dei? ». Cui cum ad id minime respondissem, scilicet e converso interrogasse, an sibi magnae fidei simplicitatis confidentia videretur, ille, qui sine mandato simplici assertione petenti elemosinam amore Dei, statim credidit atque dedit. His igitur a me prolati, dum crispatis superciliis cogitarem, ex adverso cerretanus ille: « Profecto -inquit- maioris industriae, mea sententia, fuit, qui dicendo Deus bene tibi faciat, petentem a limine repulit», statimque assistens stipulator quidam Spoletanus, Scipio nomine, vir sane doctus ingenio, et eloquentia non mediocriter valens, ait: «Non is mihi videtur inferior, qui importunitate petens omnia, per nos dicta superavit, atque obtinuit. Cum igitur haec omnia ad ipsius legum interpretis iudicium deduceremus, ut decerneret atque iudicaret, quis horum quatuor secundum speciem suam magis excelleret: «Profecto - inquit - ille quem praeposui, mea sententia, vestros omnes anteit atque praecellit, cum rem turpissimam, hoc est gratis, alienam petere mercedem, sub scuto amoris Dei invenit, et didicit occultare atque honestare. Nam illa credulitas, quam, Vicarie, praeposuisti, forte ex debilitate processit ingenii. Alteram vero petitionis exceptionem,

non admodum difficile fuit invenire, quia, confecto libello, et petitione porrecta, sese offerunt exceptions ad excludendum agentis intentionem. Tertiam quam Scipio praeposuit, aio non repentine inventam sed in multis rebus saepe importune petenti suffragasse, cum homines potentis molestia summopere cupiant liberari. Idcirco minus malum arbitrantur dare quam potentis molestiae resistere. Nam qui importune petit, quasi vim inferre videtur. Igitur quod vi datum est, non beneficium sed praedam puto. Nescitis, nescitis Cerretanorum et potentium naturam: oportet enim hominem quaestui deditum esse callidum, astutum, fronte obdurata, more senis apri, et uno aut pluribus mendaciis convinctum non erubescere. Nam si homo talibus artibus deditus erubescit, ita inutilis est, sicut philosophans irascibilis: fortem animum praestant rebus, quas turpiter audent ». Quamobrem non immerito placuit scribere R[everendissimae] D[ominationi] T[uae] originem, genus, species, specierumque. diffiniciones et dictionum interpretationem, non quod arbitrer tanti Domini ingenium et sapientiam alicuius improbi hominis fallaciis posse obvolvi, scilicet, ut illa nov(er)it. Dum eius vices gessi, licet indignus tali munere et Patrono, multos huiusmodi quaestus improbitati deditos in carcere conieci, istic et Urbini et in Monteferetro, cum defunctorum antistitum vices tenui, et per falsa figura excerptis bonis, quae elemosinarum loco suscepere, spoliavi, non me avaritia aut malo ductum spiritu fecisse (ut) arbitretur, sed ut ea quae iustitiae sunt, exequerer, et ut ipsi mulctati praberent simplicioribus exemplum, ne dicam mulierculis, sed rusticaris saepe viris, ne eorum verbosis proclamationibus credant. Scripsi etiam ut R[everenda] D[omination] T[ua], otii tempore, quiescente animo, dum a sacrarum divinarumque litterarum (cura) vacat, habeat fabellam immo historiam, et, ut verius dicam, scientiam quae inventoris ingenio omnium artium magistros superat et vincit, et animum a curis levare poterit. Licet inconveniens quibusdam videri possit gravitati, moribus et doctrinae tanti potentis Patroni et Domini, cuius ope sum quidquid sum, talia scribere, (scripsi) tamen ductus, quas supra dixi rationibus, et, ut hi, qui «in praesentiarum» tuas vices gerunt, et qui gesturi sunt, latum iter habeant ad convincendas malitias huiusmodi hominum et ad extorquendam facilius veritatem perpetratorum scelerum. Veniam igitur ad explanationem rei, quam aggressus sum, quia ut inquit Cicero, omnis quae de aliqua re suscipitur disputatio, debet a diffinitione proficiisci, ut intelligatur de quo disputatur. Ideo prius, unde et qui sint cerretani, dicendum videtur. 1 Cerretanos, a ceremoniis Cereris

sacerdotum nuncupatos fert probus ille legum interpres, nec morum ipsorum expers; ait enim, auctores et patres populi huiusmodi, propter seditionem a maioribus sacerdotibus urbe pulsos, et quia magni sacerdotii potentiam formidabant, eam Italiae partem incoluisse, quae Umbria dicitur, ibique inter altiores montes, haud longe a Nare fluvio, compertum locum, non arte sed natura munitum, cooperunt oppidum Cerreti condere, construere domos, erigere muros, arces munire, et turres moeniaque circumdare vallo et fossa, quibus sese ab invadentibus hostibus defenderent, magnosque impetus substinere possent; et sacerdotio, quo prius in Urbe usi fuerant, ibidem frui velle, nec id quod apprime videbatur, cum satis lignis pro sacrificiis abundarent, indeficientemque ignem sacris altaribus manutenerent, non admodum difficile visum fuit: verum, deficientibus thure et victimis, magnus eorum sacerdos, tantacqueb religionis Pontifex, destinare coepit legatos per orbem adeo quod ubique, et non solum ad finitimos, verum ad longe remotos populos diffusus est sonus loquacitatis eorum, et in omnem terram sparsere deceptions et fallacias ipsorum.

Pontanus vero populus, licet finitimus, admodum tamen infensus, quia cerretani iniuriouse dicunt Pilatum pontanum fuisse, a Cereris sacerdotibus cerretanos originem minime traxisse fatetur. Ait enim in Camerinensi agro nonnulla fratrum sororumque loca olim fuisse, quae magna religiosorum ac religiosarum incoluit multitudo, quibus admiscentibus, is cerretanorum populus creatus est, qui provincialis generalisque ministri seu prioris fugiens subire disciplinam, nolens paterni flagitii poenam dare, adivit locum talem munitissimum, culus medio magna esclusa sita est, quae primo nomine Cerrus dicebatur, unde Cerretum. Quidam vero altius repetentes et diversas sententias concordare volentes, cerretanos a fratrum ceremoniis, quibus more patruo utuntur diversis variisque ab aliorum hominum ritibus, arguunt enim populi talisa originem a fratribus negare non posse, cum eis quasi a natura insitum videatur concionari. Verum, ut dixi, crescente numero et auctoritate novae mirandae et inauditae sectae, magnus ille collegii pater in plures, varias, et diversas species tam magnum et admirabile sacerdotium divisit sicut factum vidimus in Ecclesia Sancta Dei, quae quantum abundet variis religionibus distincto habitu et ritibus, mirabile dictu, D[ominationi] T[uae] non latet: ita ille, ne magnae rei et perdifficilis aliqua esset confusio, in plures species, ut dixi, divisit, quarum primi dicti sunt Biantes, secundi Felsi, alias Gamuffati, Affratres, Falsibordones, Acatosi,

Affarfantes, Acapones, Alachrimantes, Asciones, Acadentes, Cagnabaldi, Mutuatores, Atrementes, Admiracti, Aconi, Attarantati, Apezentes, Cocchini, Spectini, Iucchi alias Rebaptizati, Falpatores alias Magistri artium, Affarinati, Alampadati, Reliquiarii, Pauliani, Alacerbati sive Prothobiantes, Calicidarii, Lotores, Confitentes, Semifoenorequites, Crociarii, Compatrizantes, Affamiglioli, Pauperes verecundi, Morghigeni, Bigamizantes, Prothomedici, Testatores, S. Ioannis Christiani. 3 Biantes, ut nonnulli qui tali arti afficiuntur et dediti sunt, volunt dictos esse a Biante Prieneo philosopho, quem aiunt huius artis inventorem fuisse; verum, quod rectius interpretantur, a beando, videlicet a beatitudine illos dicunt active, quod et passive, vel quia beatitudinem promittunt, vel quod se ipsos beatos, id est divites, hoc improbo quaestu faciant. Hi portant veras bullas interdum Summorum Pontificum, aliorum aliquando Praelatorum et seepe Priorum locorum, sed dilatant fimbrias et concessas sanctuarias, ut verbis eorum utar, idest indulgentias maiores, quae sint, praedicant; pollicentur, non solum e Purgatorio, verum ex Inferno, invitis custodibus, eripere animas. O si vellem T[uae] R[everendae] D[ominatione] scribere bias et modos quibus biabat ille quem nости diaconus parmensis assumptus postmodum ad episcopatum Canini in Provincia Hyberniae: profecto nec tempus nec carta sufficerent. Obmissis tantum dictis factisque eius tibi plurimum notis, exemplum unum tantum proponam cuiusdam ser Gabrielis de Ponte, hoc est de villula quadam Cerreti, qui Calixti Pontificis tempore, cum Sanctus Vincentius Hispanus relatus fuissest in catalogum Sanctorum, profectus est ad sanctuarium in Trinacriam insulam. Quam cum pluribus temporibus peragrasset, cumque plurimis sociis praedicando miracula ipsius Beati Vincentii de ordine Praedicatorum, cuius ordinis fratrem se esse aiebat, quam plures vestivit eodem habitu, et in pecuniis permutabat quasdam orationes, quas Beati Vincentii asserebat. Cum autem perventurus esset ad urbem quandam maritimam et intellexisset in ea non reperiri album pannum, nonnuilos ex sociis suis in alia civitate non longe posita dimisit, quos iussit postridie velut mercatores ad urbem, quam pergebat, venire, secumque portare quam plures petias albi panni. Interea urbem ingressus, coepit inaudita praeponere B. Vincentii miracula, et cum per biduum ibidem praedicasset, et quamplures convertisset ad tales sumendum habitum et pannus non inveniretur, iussit populum per diem noctemque sequentem orare Dominum et Beatum Vincentium, ut devotis suis subvenirent. Quo facto, navis cum sociis pannum portantibus statim urbis portum applicuit:

mercatores clamitant B. Vincentii revelatione et iussu talia portasse; quo cognito, non solum illius civitatis, sed vicini populi, tantae religionis zelo accensi, omnes confluabant, adeo quod excesserunt numerum quindecim millium; et pannus pro paucis tamen fuit; unde tantam consecutus est auctoritatem et fidem, quod aurum et argentum in magna quantitate biavit. Demum, ex Insula secedens, cum sociis Neapolim pervenit, secum omnem aurum et argentum portavit et cum dies quam plures illic contrivisset, vinum et fructus et alia ad vescendum in patenis et vasis argenteis sibi afferre faciebat. Quod ubi nuntiatum est Duci Suessae, illico exploratores iuxta Thianum in itinere posuit, ut illac transeuntes biantes ad se bonis ac pacificis verbis adducerent. Paucos post dies, cum ad locum pervenissent illi biatores biantum, multis verbis suasere ut ad Ducem diverterent, euumque auctoritate Apostolica eis concessa dispensare vellent super nonnullis gravioribus criminibus, pollicentes Ducem eis daturum aureos ducentos. Quo audito, biantes exarsere in amorem biandae pecuniae, statimque sese Suessae ad Ducem contulere. Dux autem erat facie liberali, lingua aliquantis per balbutienti, incurvus, tremulus, labiis demissis, colore mustellino, dissimulabatque tremulus vix posse consistere plantis, ac quadam prae se ferebat simplicitate, licet vir prudens et sagax esset. Is, audito biantum adventu, reclusit se quodam cubiculo, et clausis fenestris, unius tamen dimidiata patere voluit acceptoque baculo, simulabat se debilia membra, ut dixi, vix sustentare. Accersitis intromissisque biantibus, eos alloqui cepit, seque ascionem, ut eorum verbis utar, id est fatuum, ostendebat, et verba dimidiata balbutiebat, adeo quod vix eum poterant intelligere, qui volebat super quodam graviore crimine secum dispensari. Conloquebantur ad invicem biantes eorum idiomate, licet astarent Dux et nonnulli, qui eos intelligere nequonquam poterant. Tandem habitu consilio inter se, de ignavia Dúcis statuerint in magnam auferre pecuniam; Dux autem prius instruxerat quandam suum iuris interpretem, ut se coram peteret videre et intelligere bullas sanctuarias illorum biantum, et quod lectas non paucis verbis laudaret diceretque nullum usquam a Romana Curia tanta auctoritate processisse, et quod data erat eis facultas absolvendi non solum praeterita sed etiam futura peccata, et ita ipsis proferentibus bullas suarum facultatum, Dux offerebat sese daturum aureos ducentos, dummodo secum misericorditer dispensarent super quodam graviori peccato nondum facto. Quo audito, biantes respondere sese velle ad invicem consulere, videre, et animadvertere diligenter, utrum facultates eorum ad hoc extenderentur; quibus

Dux finxit se eorum dictis acquiescere et fecit eos in propria domo cum servis et equis et omni biata pecunia benigne et magno sumptu recipi. Biantes vero per noctem conclusionem fecere, Ducem omnium, qui viverent, insanissimum, et doctorem illum, qui litteras legerat, omnium litterarum ignarum, ex eo quod asseruisset Duci et talibus facultatibus etiam futura peccata posse absvolvi; et sic statuerunt biare ducentos oblatos aureos et absolvere super futuro crimen. Mane autem facto, Dux eos iterum convenit interrogatque quod de se statuissent. Illi dicunt se diligenter advertisse et perlegisse instructiones super facultatibus, et quod libere poterant concedere ut futurum crimen posset absvolvi, postquam erat commisum; et sic, facta bistuscia, idest bulla dispensationis, acceperunt ex propriis manibus Ducis aureos ducentos, et pransi cum magno plausu et laetitia ab urbe Suessae recessere. Perventique ad locum quendam arctum non longe a Suessa urbe ibique circumdati a satellitibus Ducis, spoliati sunt usque ad interulam et ablatum est omne aurum et argentum, equi et bona cuncta quae secum ferebant, acceperuntque pro iis tot verbera quae totidem superabundassent, et ab ipsis satellitibus intellexere id de mandato Ducis factum; et, licet onerati verberibus, tandem ad Ducem reversi sunt collacrimantes dolentesque quod pro tanto bono in Ducem collato, contrariam gratiam reportarent. Dux vero primo se rei inscius ostendit, milites, qui spolarunt, ad se arcessiri iubet, interrogatque quo animo freti id fecerint, qui ipsius iussioni paruisse respondent. Quo auditio subticuit aliquantis per Dux, deinde confessus est mandato suo id factum; tunc biantes, qui tunc etiam astabant, condoluerunt quod talem mercedem reportassent et suadere conati sunt Duci, ut se a tam gravi crimine eximeret. Quibus Dux inquit: «Abite fratres mei, hoc est peccatum quod ego tanto tempore cupiebam vestra auctoritate, mihi concessa, perpetrare. Faciam me absvolvi, et vos eritis liberi onere tantarum rerum et sic securi pervenietis Cerretum, quod nullus poterit vos spoliare »; et ita biando biati fuerunt. 4 Felsi, alias Gamuffati, dicti sunt a falsitate, quasi falsi, mutata littera, ad inducendam nominis obscuritatem et illius tegendam turpidinem; Gamuffati vero a P. greca littera, quasi facientes gamma, quia videntur tendere per rectum iter, postmodum in traversum convertunt. Hi fingunt se, divinos divinoque spiritu plenos, futura posse praedicere: captant nam fallendi viam a praeteritis felicitationibus seu infortuniis illorum quibus divinantur, facilem dicunt se habere aditum ad decipiendum socrum, quando nurus habet cum profecto sciant nullam pacem esse inter socrum et

nurum; et ut pecunias extorqueant fingunt saepe in domibus latere thesauros illosque custodiri a quibusdam consciis spiritibus, quos tamen nullatenus expelli posse aiunt nisi tantum sacrificiis, orationibus et ieuniis fratrum suae sanctissimae religionis, ut thesaurus absque periculo extorqueri queat; et sic magnas recipiunt obligationes, adduntque quod nullius alterius proderit oratio praeter suae religionis fratrum, quorum deprecatio humanum genus liberat a magnis calamitatibus et periculis, de quibus profecto esse non vereor dicere, illos quos, defuncti antistitis tempore, Urbini in carcerem recludi fecimus. Quidam Ioannes de Bardalono, iuxta idiomam talis gentis, idest de Sellano volens experiri virtutem huiusmodi sectae, dum Senas pergeret per agrum perusinum pervenissetque ad Castrum Panicalis et apud quendam fontem offendisset matronam quandam iam vergentem ad senium, inquit «Salva sis o mulier et deus praestet tibi meliorem fortunam illa quam passa es. Scio te non mediocria substinxisse mala». Mulier audiendi cupida, praesertim futura urceolum aquae plenum, quod capiti suo superposuerat, illico deponit, hominemque insecura est sciscitans ab eo futura. Is, cum pluribus verbis finxisset se longius ire, tandem iussit mulierem ad se venire ad cauponulam quandam intus castellum, et ultro sese dicturum pollicetur multa. Mulier statim reversa domum sese onerat ovis, caseo, pane et vino et aliis quae credebat homini advenae oportuna, et ad prophetam configuit, munuscula offerens, orans ut futura, si qua de ea sciret, praediceret. Felsus autem callidus astutus veterator, primo omnium a muliere multa praeterita sascitatur, et quam haberet familiam; postquam autem intellexisset eam unicum tantum habere filium et coniugatum, inquit: «Vae, tibi miserae!» et iterum: «Vae! filius ille tuus a pluribus annis citra non te matrem reputavit sed ancillam minimo quodam pretio comparatam: haec nefanda sibi suadet uxor; uxor autem seducitur a vicina, quae te immortali prosequitur odio». Dum autem mulieris animus ad multa divertisset, tandem exclamare coepit: «Haec omnia vera!», cui Ioannes: «Tace, obsecro, et me perfectius audi»; et dum mulier subticuisse, inquit: «Ne vicina quidem a se ipsa hoc facit, sed spiritus cuiusdam defuncti de domo tua feminam ad hoc impulit, cum ipsius sis oblita. Si vis tali molestia liberari, oportet te mittere florenum unum ad eremitam Paterni, ut fratres ibi degentes, pro defuncti anima celebrent et sic tali molestia liberaberis». Hac enim falsitate, victum et pecuniam a muliere assecutus est. Evenit etiam hoc anno in mense aprilii, ut quidam Pascalis homo, sane huius artis praecipuus, apud Interamnam in cauponula quadam cum diebus pluribus

divertisset, auditoque quod Iacobellus quidam homo simplex et ignarus, non modicis abundaret pecuniis, eum pacificis et dolosis verbis adivit et, contracta prius amicitia, ad compaternitatem devenit aperuitque sibi die quadam se scire ex revelationibus capitum mortui cuiusdam sancti quiescentis corpore in cenobio de Paterno, quod in domo ipsius Iacobelli ingens auri et argenti thesaurus latebat offerebatque sese ipsius capitum testimonio probaturum; dum Iacobellus diceret se cupere rem tantam audire, duxit eum ad cubiculum suum ibique posuit mortui caput super tabulam quandam in loco existentem, in qua erat foramen, et ex illo arundo perforata descendebat subtus pavimentum in partem inferiorem, ex qua socius per arundinem loquebatur, adeo quod ex capite verba ab eo in arundinem prolata, prodibant. Dum autem Pascalis interrogasset in qua parte domus thesaurus lateret, et quomodo inde extrahi posset, respondit: ille: «In dextera quidem parte, sed oportet prius superponere per triduum auri libras quatuor». Quo auditio, Iacobellus inquit: «Habeo aureos tantum trecentos, quos in olla nondum incenniata [?] superponere poterimus iuxta sancti spiritus loquentis sententiam». Quo cognito, felsus persimilem ollam arena implevit ac clausit, et dum Iacobellus crederet ollam cum pecuniis pro eruendo thesauro in loco abscondere, Pascalis cum olla arenae commutavit et subtus cladem abscondit, indeque abiens, aureos trecentos asportavit, lugentemque Iacobellum dimisit dolentemque quod spiritus in capite mortuo loquens, incommodum Pascalis eum tantopere decepisset. 5 Affrater, dicti sunt ab A, quod est sine, et fratres quasi sine fraternitate. Hi assumunt habitum alicuius verae religionis et confessiones audiunt; absolvunt enim a quibuscumque reservatis, quae Diabolus formidaret audire, et saepe, licet non sint praesbiteri, celebrant, et cum ad novas civitates deveniunt, novas missas, quaestus causa, cantant. Qua fallacia, frater quidam qui per annum celebraverat his diebus voluit me decipere, invitando ad novellam missam, sperans a me pennachium, hoc est carlenum unum accipere, quod minime factum est. Imponunt pro paenitentiis elemosinas et missas dicendas in loco suae religionis praedicant enim fratres suae religionis magnae esse sanctitatis, ipsorumque orationes non mediocriter gratas Deo, et multorum sanctorum corpora in ipsorum quiescere cenobio, cuius maximam dicunt aedificiorum fabricam magnis egere opibus et auxiliis, tum propter structuram murorum, tum propter expositos in hospitale «veluti» quos Iactatello appellant, a quibus si quis extorqueat veritatem, Iactatello intelliget nonnullos lapillos quos ex agris in vallem quandam, quam

veluti appellant, proiciunt; nec verentur dicere eorum monasteria Summorum Pontificum privilegiis et indulgentiis decorari, et, ut se sanctos ostendant, accipiunt calidos panes, dum ex furno abstrahuntur, et ponunt in vase pleno rubri vini; postquam autem satis imbibiti sunt, exsiccant illos ad solem, postea secum in sacculis portant, et dum aliquam applicant villam, petunt aquam ad refocillandum animum; dicunt se in pane arido et in aqua vivere, panisque frusta intingunt in aqua in conspectu feminarum, deinde frusta comedunt, aquam tinctam restituunt, quam mulieres videntes clamant sanctos comperisse viros; affratus iubent mulieres fugere et taceree famam, et nomen sanctitatis insimulant et ita concurrentem imperitorum turbam decipiunt. Id quidem, nec mirum, audivi enim nonnullos alios affratus grossiorem arundinem unius et semis brachli perforasse et implevisse non paucis ovis; demum, astante imperitorum multitudine, ova duo, amore Dei, et sartaginem accommodari petisse, dixisseque velle superaddita benedictione duobus ovis sex socios satiare. Fractis igitur duobus ovis et sartagini cum abdomine super igne calefacto imposuisse duo tamen ova arundine ne exsiccarentur, videbatur obducere benedicendo deprecandoque semper Deum ut famulis suis subveniret, adeoquod descendantibus ovis ex canna in sartaginem, repleta est sartago; unde multitudo credens alterum Christum qui panibus quinque et duobus piscibus multitudinem saturam fecit in deserto, clamare coepit: «Benedictus Dominus Deus Israel, quia Prophetae magni surrexere in nobis » Memini me, dum Urbini in vicariatu moram traherem, nonnullos cepisse, et posuisse in carcerem, partimque accepisse ex ipsorum histuscia, partim ex confessione eorum quod induiti pannis fratrum minorum per diocesim praedicarant cuidam sancto viro, qui per annos quadraginta iuxta sepulcrum Domini nostri Iesu Christi duram egerat vitam, mundum hunc esse peritulum in brevi temporis curriculo propter peccata hominum quae nimium multiplicata erant super terram. Quo auditio, vir bonus et sanctus confugerat praecibus ad Reginam mundi, Dei Matrem, misericordiae fontem, patrocinantem semper miseris et miserabilibus peccatoribus, cuius interventu aura, saevis et formidanda est revocata sententia, et ita homini sancto revelavit. Cum igitur vir bonus peteret quid deceret mundum pro tanti muneris honore exhibere, respondit illa: «Revertere ad patriam tuam, ibi iuxta Paternum olim erectum templum in mei honorem et modo dirutum invenies, et in dextera parse fodiens, invenies scalam descendenter in antrum pergrande, et ibi comperies fenestram parvam in qua, si quis, die quo unigenitum

filium edidi, et die quo ascendi coelum, caput suum posuerit, omni culpa liberabitur nullique poenae erit obnoxius. Invenies etiam imaginem meam tenentem filium in ulnis nullo humore aut vetustate corruptam, comperiesque scrinium plenum privilegiis Summorum Pontificum, quorum seriatim posuit nomina, et arcu lam reliquiarum multorum Sanctorum. Mitte confratres tuos, mihi gratos viros ad fideles populos, ut unusquisque peter familias mittat tot pecunias quae sufficient pro mercede unius operantis per diem; qui vero eorum obtemperabit dictis, cum omni familia securus erit ab epidimiae morbo, contumax vero et incredulus, delebitur cum tote progenie de terra viventium, et ita mihi templum pro munere reficies». Et ita fecisse hominem sanctum praedicabat, et ab eo missos sese affirmabant ad haec praedicanda et ad absolvendum homines a peccatis, ut facilius consequerentur gratiam; uncle casu et fortuna cohacti sunt male extortas pecunias Urbini dimittere, et iis mirandis inauditisque miraculis parum pro se lucrati sunt. Anno praeterito hinc, peste pulsus, degui per dies non paucos in valle Narci, in oppido quodam cuius homines ad artem hanc dediti sunt, et cum quam plurimi mecum contraxissent quandam consuetudinem et plura retulissent, quidam Thomas non minor inter affratres, inquit: «Scias facilius posse decipi illos qui maiores profitentur habere nostrae sectae experientiam; nam, cum quodam tempore Apuliam peragrassem, diverti ad oppidum quoddam, cuius nomen erat Monscalvus et quaererem aliquid excerpere a muliere uxore cuiusdam cauponis, et illa respondisset se meos et sociorum et hominum huiusmodi callere mores, et quod nullatenus eram eam decepturus; tunc magis ac magis sperare coepi aliquid ab ea consequi prout actum est. Et primo iussi quod nunquam se crederet ciarlatanis, dissimulans me nescire nomen proferre, nec de talibus esse affirmabam adeo quod statim ab ea carlenum unum consecutus sum; quo facto feminam iuxta me sedere iussi, et interrogavi utrum pro se aliquo tempore undecim milia peter noster Beatae Ursolinae dici fecisset; cum mulier dixisset se nescire quae et quamobrem dicerentur, respondi Beatae Ursolinae revelatum quandam fuisse quod mater eius cruciabatur infernalibus poenis propter perpetratum adulterium dum vitam vixit, et quod serpens magnus et oblongus ter animam circumdabat et ore mentum mordebat, cauda autem caedebatur tergum. Unde Virgo Sacratissima cum undecim millibus virginibus adeo instanter oravit, quod eam tantis liberavit cruciatibus et ad gloriam evexit. «Sic unusquisque qui pro se dici faciet, securus erit a Gehennae incendiis; hoc tamen scire te oportet quod tribus tantum locis haec dicuntur,

videlicet Romae, Hierusalem et in nostro templo eremitarum de Paterno, ubi fratres sunt undecim. Hi tantum per diem unam explicant, nihil comedentes aut bibentes, et nihil possum pro mercede accipere; si quis autem propter hoc eis quidquid daret, esset exclusus a meritis tantae orationis, nec aliquo opus esset, nisi tamen duabus candelarum libris, pro quibus mulier cupiens altos duos dedit carlenos. Demum audiens ipsius mulieris confessionem, quod eius parvula filia in domo comperisset carlenos viginti sex qui ceciderant vetulæ cuidam eunti ad Montem Virginum pro indulgentiis, et ita quartum carlenum pro absolutione accept; quintum mulier obtulit pro absolutione filiae, et sextum pro anima vetulæ cuius fuerant, et sic carlenos sex a muliere sagacissima consecutus sum». 6 Falsibordones, a falso bordone, hoc est a falsae peregrinationis baculo, dicti sunt; hi portent baculum cum quibusdam anulis ligneis, et saepe in cacumine habentem pannum linteam, et post tergum galerum ac se vovisse peregrinationem ad Divum Iacobum, vel ad Beatum Antonium, et aliquando ultra mare mendicando tamen nec quicquam exponere posse de suo dicunt, qua mendicitate magnas extorquent elemosinas et suffragia. Isti ex Gallia Cisalpina et ut plurimum ex agris mediolanensibus et ticinensis trahunt originem. Dices forte: «Si ex talibus locis orti sunt, quomodo ex Cerreto et finitimis populis?» credo me dixisse quod sonus loquacitatis eorum ubique diffusus erat. Si forte aliquando semen unum talis populi filios non pudet paternos mores imitari. Ex his autem quidam, Rotundus nomine, cum aliquando a Ticino ad templum Beatae Virginis de Laureto pergeret ubique queritans elemosinas pro victu et pro calice quodam confiendo ex revelatione Beatae Virginis: dum magna matronarum adesset multitudo, argentum exposcebat pro ipso confiendo calice, addens quod si qua earum tempore aliquo adulterium perpetrasset aut fornicata scilicet fuisset, se abstinere debere ab argenti oblatione, quia beata Mater Domini semper Virgo nolebat sibi, et sacrificium offerri cum calice et argento corruptarum foeminarum. Quare unaquaque volens et pudica et caste haberet, anulos ex digitis, argentum ex vestibus evellebat et alias preveniendo offerebat, uncle non parum argenti consecutus est. O inauditum, novum, mirandum et insperatum exemplum! Nam scribenti mihi dum plures Curiae notarii astarent, et digno huius speciei diceremus carere exemplo, ex improviso Bartholomeus quidam qui se placentinum dicebat, non una tamen optima veste indutus, asserens se pontificii iuris interpretem, barbam ferens oblongam et post tergum baculum unius

cubiti cum dimidio quem bordonem appellant, vestibus alligatum in peregrinationis signum mulam habens per pulchram, sociatus duobus famulis quos antephos vocant, petiit ut elemosinam sibi exhiberem, cum voto templum Beati Jacobi peteret. Risimus omnes usque ad dolorem ilium cum oportune per optimum exemplum ultro sese querenti obtulisset; cum autem nos ridentes adverteret, inquit: «Non sum ego Cerretanus, sed Placentinus qui longo tempore moram traxi in curia gravi postmodum infirmitate detentus, vovi iter ad Sanctum Jacobum mendicando, nihil de substantia propria expendendo. Nam si septem diebus et septem noctibus plueret non madefaceret terras meas» (intelligens de tegulis suae domunculae, cum nihil praeter eam haberet). Tunc ex adverso quidam Reverendi Domini mei procurator, inquit: «Nonne magis saluti tuae expediebat tuis sumptibus locum petere?» - «Minime - inquit ille - cum omne meritum impar sit erubescentiae»; et sic instando, protestando oportune importune, a me pro eius mula avenam sic abstulit. Gentilis de Fulginea, dum de epidimeo morbo scriberet, epidimiae morbo perii; sic ego scribendo, clamando ut omnes fugerent a laqueo, incidi in id ipsum, et videns, sciens, a falso bordone supplantatus sum. Olim dum Beatus Bernardinus concionabatur Mediolani, unus ex duabus falsibordonibus ei consignavit aureos trecentos quos in via comperisse se aiebat, forte dimissos a Diabolo ut sibi auferret magnum peregrinationis meritum, praesertim cum novisset sola mendicitate victimum quaerere, orabatque ut sua predicatione moneret ut, si quis pecuniarum patronus esset, datis signis, reciperet, seque inopem, peregrinum, elemosinis fidelium commendaret. Quo facto Beatus Bernardinus coram multis verbis laudavit hominem. Altera vero die concionem habuit ad populum de elemosina: hominis vero integritatem longo commendavit sermone, adeo quod a Duce et ab aliis propter Beati Bernardini commendationem ex elemosinis bis inventas superavit pecunias, et sic abiit. Postera vero die, socius ut mercator, venit ad Beatum Bernardinum, perdita pecuniae profert signa, recipit, abiit ad socium, gloriantur se etiam Santos decepisse. Post aliquod breve tempus innotuit fallacia B. Bernardino, quam populo profert, queritur, lamentatur quod per eum falsibordones populum decepissent, licet tarde. 7 Acatosi, a captivitate nominantur: fingunt hi profecto habere parentes aut natos vel fratres in manu Turcorum vel Saracenorum, aut in vinculis Pyratarum. Aiunt, et se saepe fuisse in trireme ligatos ad remigandum; hi portant aliquando catenas, et compedes ac vincula, quibus dicunt se catenatos fuisse. Iurant enim mensibus novem se clausos fuisse detentos in arctissimo

carcere ibique lumen vidisse nunquam, panem et vinum sumpsisse minime, scilicet, divino quodam beneficio, sine cibo vitam vixisse; in qua exactos, annis duobus stricte vinctos inter duas arctas tabulas tenuem egisse vitam. A quibus si veritas excutiatur, confitentur se novem mensibus fuisse in utero materno, duobusque annis in cunis, et sic immunes se a mendacio et periurio credunt. Die qua Calixtus Catelanus ad Pontificatus apicem evectus est, Dominico de Capranica Cardinali firmando ex palatio recedenti, ex his quidam se obtulit, et calmonam iuxta eorum verba, secundum nos elemosinam, pettit, dicens se liberatum (esse) de manibus Catellanorum. Cui Cardinalis perfacete respondit, inquiens: «Tibi quidem melius quam mihi consultum est: nam tute liberatum e manibus Catellanorum predicas, ego vero doleo me hodie in eorum potentiam incidisse, unde rectius mihi quam tibi elemosina daretur», et sic hominem decipere volentem delusit delusione perhonesta et decenti homini docto et tam gravi. 8 Affarfantes a verbo «fari» dicti sunt: hi multum verbis et loquacitatibus et praedicationibus abundant. Fingunt enim multa miracula dicentes se magna perpetrasse flagitia divinoque quodam nutu morbo aliquo percussos et voto obtinuisse morbi liberationem, ut peccatum suum et gratiam eis factam cunctis gentibus paenitendo nuntiarent; percutiunt enim nudum corpus suum aliquibus levibus catenis, de quibus credo me nonnullas eis sublatas domi dimisisse vel pectus magno aliquo saxo percutere et lacerare demonstrant; aiunt oportere eos talem agendo paenitentiam totum peragrare orbem. Si quis verum ab iis excutit, inveniet quod prius parvula massa cerea communitissimis aculeis pellem frangunt, demum cum illis levibus catenis super cutem sanguinem spargunt, et ita ostendunt se sibi totum dorsum decoriasse. Evenit quondam cuidam Ciamberlano maximae summaeque auctoritatis inter biantes, ut de empta in Tuscia bia nihil lucraretur, habitu cum discipulis suis consilio, eos sorte dimisit; accidit ut Georgio cuidam camerinensi, Camerinum in sortem eveniret. Is cum aliquantisper cogitasset quo modo in loco nativitatis suaे rem tam periculosam aggredi posset, tandem sociato sibi quodam toto ex secta farfantum inquiens: «Ad hanc rem, quam paro, opus est ingenio tuo et arte» et se iuxta Camerinum totum fascia cinxit ac circumdedit, et in carruca a farfante tractus est in cathedralē ecclesiam, ibique in capella S. Venantii admodum obscura cum ipso feretro positus est. Exibant voces ingentes a farfante: quod is erat sanctior omnibus qui fuissent ab Apostolis usque ad dies suos, qui eum lepra multisque aliis infirmitatibus suis praecibus liberaverat, et quod praeterita sciebat

omnia pariter et futura, et coeperunt paulatim mulierculae et leviores viri farfantis verbis acquiescere, ac Sanctum virum Beatum Thomam a farfante appellatum super praeteritis pariter et futuris consulere. Is, qui omnes notos habebat, praeterita sciebat; de facili credebatur super futuris. Evenit ut die quadam uxor eius, Iacoba nomine, sanctum virum consuleret, sciscitareturque quid de Georgio marito suo; dum respondisset hominem salvum atoque repetitum domum magna, ex bia facta, pecunia divitem, addidit: «Scias, o femina, ipsum Georgium maritum tuum, dum hinc abire vellet, aureos quatuor abscondisse in parvo foramine in cubiculo, in dextera parte iuxta lectum, quos decreverat tibi dimittere, ut in necessitatibus tuis subvenire posses. Repete domum, perquire pecunias, et nisi me peccatorem spiritus sancti gratia indignum feci, absconditam mariti pecuniam invenies». Quo auditu e vestigio mulier domum repetit, nuntiatam pecuniam quaerit, et invenit; statimque ad furnum et lavacrum se confert, abstantibusque vicinis Sancti Prophetae dicta renuntiat, et quod invenit. Fama crebrescit, a farfante proclamatur viri sanctitas, adeo quod in brevi tanta crevit hominis auctoritas, quod oportuit non paucos iuvenes disponere qui baculis arcerent turbam, ne ardore devotionis in Sanctum irrueret, unusquisque vestes, pecunias et alia fortunae bona proiciiebat, adeo quod magni matrona potentis, aureos quadraginta vestemque sericam homini obtulit beato. Post vero aliquot dies, noctu, affarfantes, collecta pecunia et allis oblatis, secesserunt suum deridentes populum, quod tali visco cepissent. 9 Acapones, a caponibus nominati, qui vitibus albis et cantalenis, aut aliis venenosis herbis crura sauciant sua, clamitantque ignem esse Beati Antonii, aut lupae morbum, cui ad resistendum, ne corpus conterat, oportere die qualibet superponere. Quem pro pietate datum non superponunt morbo, sed supponunt, hoc est per os coctum ac debile, ceteraque egentia membra dimittunt, et ita aegritudinem ad votum paucis diebus a se amovent. Unus Muffatus quidam de Frighino, homo rei huiusmodi peritissimus, olim Viterbii tumentibus ac sauciatis cruribus venenisque disruptis, quotidie per plateas et tempa vociferabatur sese iturum ad ecclesiam B. Antonii, ibique positurum crus argenteum pergrande, si tam gravi morbo liberari posset, et ad id continuas fundebat preces obsecrabatque astantes et condolentes infirmitati sua, ut ad id una secum Deum beatum Antoniumque rogarent. Evenit, ut statim, amotis venenis contrariisque superpositis medicamentis, paucis diebus pristinae restituit se sanitati; tunc instabat apud mulierculas et viros simpliciores, ut suis argentis eum iuxta facultates proprias,

pro voti expletione iuvarent, unde tantum consecutus est argenti, quod non paucis diebus eum ab oneribus levavit. 10 Alacrimantes, dicti sunt a lacrimis, quas semper habent in statione paratas; huiusmodi homines semper plorant lacrimasque ubertim dimitunt dum adsunt testes nihil petentes, sed portant extensam manum et oblatas elemosinas accipiunt. Quorum unum superiori anno saepe mihi ostendit familia Reverendissimi Domini mei Romae plorantem, demum revidi Spoleti desiccatis lacrimis eodem anno supra Calendas Maias. Nec id (quid mirum?) cuiquam videri potest, cum temporis aestus etiam terrae venas exsiccaverit. 11 Asciones, nuncupati sunt ab a, quod est sine, et sensu; fingunt enim se dementes et mente captos, surdos aliquando, et saepe mutos. Nihil petunt sed inarticulatas voces emittunt, nutuque quid velint indicant. Si quae tamen obiiciantur, accipiunt. Accipe igitur de hoc pulcherimum exemplum, et in nostra patria factum. Quidam Scagnoza, qui vicinum suum pice clausis oculis ducebat ad quaestum clamabatque hominem caecum, surdum et mutum ac omni intellectu carentem, cum quodam tempore eundem per Villulas Saxoferrati duceret, nacti sunt domum quandam in qua nuptiae celebrabantur. Dum mulieres quae plures astarent, interrogarentque de hominis conditionibus, et quomodo tantis naturae bonis privatus esset, et an caecus natus fuisse, et Scagnoza praedicaret hominem omni carere sensu praeter tactum, ille impotens amplius differre, aut parum advertens, dixit: «Bene viderem nisi pice clausos haberem oculos», unde Scagnoza detectus, statim recessit, sotiumque duxit in foveam quandam, ibique in poenam revelationis magni secreti, sine duce dimisit. Unde autem Scagnoza ex contribulisi nostris tali arti se dederit, nescio nisi causa, quam supra de falsibordonibus dixi. 12 Acadentes, a cadendo dicti sunt. Hi inter magnam hominum catervam fingentes se comitiali morbo laborare in terram decidunt postmodum surgentes instanter elemosinas petunt. De his autem olim Urbini in Curia Illustrissimi Ducis unum vidi contrarium suaे sententiae commodum reportantem, qui ut elemosinas extorqueret, resupinum se deiecit in terram adeo quod cutem capitum in lapidem perfregit, unde non modicum sanguinis emisit et damno speratam elemosinam superavit. 13 Cagnabaldi, nominati sunt a cambio seu permutatione, et a quodam Baldo forte eugubino, qui primus ab eis circumventus fuit. Hi falsas margaritas, anulos vel torques pecuniis aut aliis bonis mercibus permутant, et ut facilior sit ad fallendum via, prius veras ostendunt, demum falsas supponunt. Fuit hic superioribus diebus quidam Prior Sancti Andreæ, qui duos sacculos eiusdem panni non

admodum grandes consuit in totum similes, quorum alterum comminuto foeno implevit et desuper etiam consuit; demum conferens se Perusiam ab aromatario quodam sibi alterum saccum croco iussit impleri et desuper consui; postmodum ex crumenā nonnullas pecunias cassianas eruit, reponendo interim saccum cum croco in maiori suo sacculo. Cum autem aromatarius renueret tales monetas recipere, aureum unum dimisit cum altero sacculo foeno plenum, quem aromatarius credebat croci saccum fore, et ita discedens hominem superplantavit. 14 Mutuatores, a mutuo, seu mutuando denominati sunt. Mutuant hi profecto sub spe futurae remunerationis, ridiculum facientes verba quae inbent, quod mutuum dantes nihil inde queant sperare. In hoc habemus magnum exemplum et memorabile ad instar quidem portenti maximi: nam reverendus quidam olim praetor cassianus dum p̄ae se ferebat praeturae fasces, ut quid lucri sibi faceret in aridis loci illius montibus omnes aere poena ex patratis criminibus quando obnoxios sub impunitatis fide ad se trahebat, compositisque cum eis poenis ac multis blanditiis exigebat, si qui autem parum defuisset ad parvum temporis spatium ultra mutuabat, elapsisque diebus paucis, ne beneficii eiusmodi licet parvae rei illius immemores viderentur quid plusculum croci, aut alterius spetie munieris ad liberalem praetorem deferebant. Homo enim callidus ne tali aucupio se deditum ostenderet, homines subtus ad mansiunculam uxoris suaē ad persolvendas pecunias, et ut cibo potuque a se reficerentur mittebat, et sic cum pecuniis sagax femina mariti nomine munera accipiebat. His artibus ultra quattrocentas libras croci, magistratu functus, secum non detulit. Quod nequaquam Georgius Cagnabaldus aut alii acuti foeneratores tam modicis pecuniis acquisivissent. Ecce quantum viget avari hominis ingenium ad caute extorquendum a barbaris fortunas. 15 Atrementes, qui a tremore nuncupantur, dicunt se paraliticos, et his nugis extortas pecunias per noctem in hospitalibus tesserarum ludis exponunt, quorum unum, ut mihi retulit frater meus dum praetoris Castellani quaesturam gereret, invenit per dies semper tremoribus agitari; demum quadam nocte comperit in scagnardo, idest in hospitali, tesserarum ludis occupatum, quem captum ad praetorem duxit. Praetor vero publice caedi fecit, et, ut arbitror, iniustitiam homini exhibuit; nam ob eam causam per noctem ludebat et cubitum agebat, ut expeditus per diem tremoribus agitaretur. 16 Admiracti, a miraculis dicti sunt: simulant hi profecto magna miracula et aiunt aliquibus in locis imagines Beatee Virginis vel alterius Sancti lacrimas emisisse. Ferunt in hoc patriae templum esse

Beati Leonardi, in quo per hiemen aestumque, sereno et nubilo coelo, imbres semper decidunt, tectumque tantae molis esse, quod si casu aliquo rueret, orbis universus resarcire non posset. Quod aiunt profecto verum est, et hisce oculis vidi. Est enim antrum pergrande cum altare picturis, et quibusdam simulacris ad radices heremi Montis Luci haud longe ab arce spoletina, ubi ex descensu cuiusdam aquaeductus per lapidosi montis venas aquae in antrum ipsum scaturinut, nec dubium cuiquam videri potest, quod si mons ipse totus rueret, mundus universus restituere non posset. 17 Acconi, denominati a conis sunt: conae enim primo vocabulo dictae sunt Sanctorum depictae imagines in tabulis. Hi, ut dixi, Sanctorum imagines portant, quas ante templorum portas et areas sternunt, qui aucupantes pecunias dicunt aliquas cantilenas Beati Simonis de Tridento, aut quas septem laetitias Beatae Virginis appellant, et imaginibus oblatas pecunias aves captas dicunt. Memini me istic in hospitali non longe a conventu Beati Augustinii quam plures accones per praetoris familiam ebrios fecisse capi, qui super conversam Beatae Virginis imaginem tesserarum ludo receptas per diem pecunias profundebant. In carcerem poni iussi amotis tabulis ne amplius luderent, aqua male haustum vinum temperavi, conas matronis vicinis largitus sum, unam tantum in camera dimisi. 18 Attarantati, dicti sunt a quibusdam vermibus venenosis natis in agro Tarentino, quorum morsibus se cruciatos fingunt, et in varias insanias, et ipsarum bestiarum naturas speciesque incidisse, elemosinas conquerunt, vibrantes caput, genibusque trementes, saepeque ad sonum cantant, et ac si coreas ducerent saltant, modo spumantia ora agitant, dentesque stridoribus conterunt. Hi nihil petunt, sed somus pro eis elemosinas postulat et recipit, et quamobrem quove in loco homo ipse attarantatus sit praedicat: o ingenium, o ars cunctis inaudita seculis! Cercha quidam Treponianus Iacobum Tonii cerretanum amicum et socium suum catenis duabus vinctum more Petri Apostoli, tenentemque saponem in ore, spumantibusque labiis, velut limphaticum canem, per Apuliam ducebat Tarentinosque sese aiebat, et amicum catenatum tarentinis vermis veneno corruptum in rabiem saevientis canis continuo exarsisse. Utinam laboribus et vigiliis quibus hoc anno vexatus sum, tot pecunias domum reportarem, quot Cercha ille, cercando, ut ita loquor, Treponium retulit. 19 Apezentes, appellantur a petio, hoc est frusto artipii, id est panis, iuxta eorum linguam. Hi dicunt se nihil praeter victimum concupiscere, spernere vinurn et nuditatem amare: panem tantum quaerunt, et dum esuriunt frusta solum et ea durissima comedunt, integros vero

vendunt. Erat Stefanus quidam Illiricus in locis Urbini invictissimo Duci subiectis, dum in patria essem, qui die noctuque quasi fugientem panem insequebatur; demum vendebat cerdonibus quibusdam quantum sufficiebat pro victu magnarum familiarum, adeo quod non tantum diurno ligone et securi fatigatus acquisivisset. 20 Cocchini, dicti sunt a quatiendo, qui per hiemem nudi vadunt, quasi sua quatientes membra, stridentes dentibus, ut maiorem vim frigoris se concepisse ostendant. Ii piae se ferunt nihil praeter egestatem nuditatemque habere, unde Cerrus quidam de Fraghino villa Cerreti quasi nudus non longe a Fano, sciens stipulatorem quendam Petrum Antonium inutilem filium ante triennium domo egisse, nec de hominis salute postmodum verba litterasque perceperisse, adiit hominem, filium salvum dixit, et a Ferdinando Rege, ob eius strenuam virtutem, cohortis et aureae militiae dignitate donatum refert quod strenue et in magno periculo pugnasset et hostes vi viciisset ferox, seseque militis tanti servum dicit. A stipulatore domum ductus, sororibus matrive ingenti praeda et spolio divitem clamat, seque clarissimi militis servum, voto missum ad Beatum Antonium, et in itinere spoliatum esse, et quod ita missus domini votum atque iussum persoluturus esset. Gaudent credulæ mulierculæ, benigneque suscipiunt, et optimam sibi cenam parant. Vespere stipulatoris generi aliique affines homines advenam adeunt, quae vera fuisse optabant, interrogant. Callidus Cerrus, quae aiebat vera fuisse simulat, et falsa cogitata proloquitur; mulieres interulam, stipulator diploidem, gener unus lucernam, alter vero caligas, calceos atque birretum proferunt, pallium vero ab avo materno, quominus senio confectus indigebat, obtinuit homo nudus, et sic per diem noctemque benigne receptus persoluto voto statim sese e vestigio illac redditurum pollicetur. Abiens viros ac feminas decipiens, paucis diebus elapsis post hominis discessum, Petrus Antonius stipulatoris filius, de quo tanta per cocchinum praedicata fuerant, Carticetum redit nuntians patri se inopem, nudum, nihil secum detulisse praeter egestatem: quo comperto doluit stipulatori tot vestes in cocchinum contulisse, quae egenti filio oportune suffecissent. Corsus rei conscius Reverendissimae Dominationi tuae haec narrabit melius. 21 Spectini, a spectando appellantur, qui aspectibus hominum se praestant sacerdotali veste indutos, sacerdotli caractere insignitos simulant, et a spectaculis nominantur, quod homines feminaeve ad eorum contiones confluant non minori delectatione quam ad videndum spectacula cucurriscent. Hi pro senodochiis Beati Antonii, Sancti Alexii et Divi Bartholomei Beneventani, leprosariisque

quaeritant, portantes in vestibus suis nonnulla signa ipsorum hospitalium, et campanas, ut facilius populum congregent; et ut facilius allicant ad liberalitatem, nunquam sine bistuscis idest patentibus litteris, quaerunt, sine quibus de iure quaerere non possunt. Nardus de Trepuntio, et Tasca de Vallo Vallis Narci, inter homines huius sectae praecipui, olim quaeritantes in Monteferetro apud Pennam Billorum nacti sunt mulierculas quibus paterfamilias multis minis vetuerat quicquam quaestoribus dare. Cum igitur viri probi, sagaces et ad decipiendum faciles, quibus nomina, mille milie, mille mille fallendi artes multis rationibus et exemplis suassissent mulieribus pro salute gregis sui et pendentium fructuum expedire ut darent linei panni petias pro ornamento altaris B. Antonii de Vienna, et obtinuissent abiissentque, pater familias domum repetit; sciscitans comperit spectinos secum pannos asportasse, post eos statim cucurrit clamitans ut pannum quasi ablatum dimitterent. Hi cum intellexissent suam fraudem patefactam, sedentes quasi expectaturi hominem, ex silice ignem excutiunt, stipulamque accendunt, accensam in obvolo panno immittunt; supervenit homo vociferans ac detestans quod mulierculas tantopere decepissent, et se hominem non sic facile circumvenissent, et quod nisi pannum statim restituerent inde abituri non essent, nisi multis receptis verberibus. Spectini, ut dixi, callidi, statim pannum proferunt inquietes: «Deus quod fecisti in bonam tibi vertat fortunam; verum nos timemus ne praecibus Beati Antonii, cuius formidandam potestatem tu non es veritus, male vertat, et ipsius furenti igne te et tua exurat»; et ita, restituto panno, abierunt. Cum igitur non longe essent, ignis intus latens fumum emittit, advertens vir qui sibi soli videbatur sapere, iuxta spectinorum verba, credens Beatum Antonium in se saevire, conversus spectinos insequitur et clamat, obsecrat, orat, obtestaturque ut saevientem in se Sancti furorem praecibus demulceant, pannum restituit, domum eos adducit maiora etiam munera, propiendo tantum contemptum ac numinis iniuriam elargitur. Indeque discendentes in agrum ariminensem, iuxta Curglianum comperiunt vetulam quandam habentem gregem ovium centum per pulclarum, offerunt se benedictionem Beati Antonii datus super gregem, adeo quod erit securus per annum, et triduum, dummodo eis castrones sex in honorem beati Antonii elargiretur; cum itaque muliercula nisi quattuor habere se assereret, et ulro se daturam pro tantaque benedictione polliceretur, acceperunt et reliquum gregem benedixere dicentes: « Le morfisca lo caone, per cambio dell'artone, lo caone le morfisca et non le scarponisca; e

non vedano mai quella valle oscura, dove non luce la luna, né ci è gallo né ciello, ma solo lo calandrello. In nome del Padre, Figliuolo et Spirito Santo, et de Sellano et de Montesanto, et de Sellano et de Montesanto»; et aiunt gregem per annum et triduum securum ab omni malo, et quod sine custodibus secure errare permetteret. Mulier credula, die noctuque in stabulo aut caulis minime gregem claudit. Grex vagatur, vicinis non unum damnum tamen inferens; proclamat et conqueritur vicinia tote, mulier se excusat et non ad se, sed ad beatum Antonium ovium curam spectare ait. Nocte quadam vagantis gregis oves lupus comperit, dispergit et interficit ultra dimidium; mane autem dispersum gregem, oves occisas, mulier comperiens, condolet de Beato Antonio, et de eius spectinisi, quod recepta mercede suds orationibus gregi parum profuissent. Elapso postmodum anno et triduo spectini revertuntur, mulierem adeunt, pro futuro anno benedicere gregem tentant, quibus mulier inquit: «Nolo amplius vestram aut Beati Antonii benedictionem super gregem meum, cum illi minus profuerit: lupus enim, vestra contempta benedictione, multas mihi mactavit oves». E converso spectini memores fallaciae, immemores ruboris qui uno aut pluribus mendaciis convicti erubescere non didicerunt, aiunt: «Si lupus tuas iugulavit oves non sumus propter hoc culpa increpandi, quia lupus tantae est pervicaciae et temeritatis quod non solum Beato Antonio, sed nec Deo parceret, stimulante fame», et sic delusam mulierem dimiserunt. 22 Iucchi, alias rebaptizati, dicti sunt primo a loco, quia non aliter iocantur delectantque in aqua baptismatis quam ebrios in vino, anas et anser in flumine aut aqua. Rebaptizati autem dicuntur a reiteratione baptismi: hi fingunt se quondam fuisse Iudeos ditissimos fenerario quaestu, et visiones vidisse terribiles, miraculaque inaudita et pene incredibilia proferunt, quibus allecti, more Apostoli, dimisisse talentum et omnia que habebant, ut Christum pauperem sequerentur pauperes et perfecti, omnem deposuisse auri sarcinam. In omnem civitatem ad quam veniunt baptismum iteraturnb sumunt, et ita victum vestitumque se simulantes ab omnibus hauriunt pecunias. Quidam Fatius de Lucastro, hoc est Cerreto, olim in Flaminiam haud paucis cum sociis ad sanctuarium prefectus, cum per menses plures parum aut nihil biasses, novo habito consilio, convertit animum in Regnum Siciliae, et fingens se suosque Iudeos in Calabriam descendit, et sic Calabriam et Apuliam peragravit, et cum primum ad aliquam ipsarum provinciarum urbem deveniebant, praedicabant se Iudeos ex Flaminia devotione et miraculis conversos ad fidem, baptizabantur, et tantum aquae pro

baptismo consumpserunt, quod molam per diem largeque duxisset. Demum elemosinas baptismo suscepto quaerebant, et sic ex ipsis provinciis tantum auri et argenti consecuti sunt, quantum ex decem biis nequaquam consecuti fuissent. Diceret forte quispiam si biantes erant profecti ad biam quomodo Iucchi facti sunt: mirum quod nemini videri potest, hanc alteram esse artem egregiam, et in Ecclesia Dei saepe religiosi ex una religione ad aliam transeunt, et elementum in aliud elementum convertitur. Saepe sicut Apostatae ad fratrem Benedictum abbatem de Paterno 23 Falpatores, alias magistri artium, dicti sunt primo quasi falsi palpatores, quia docent falso palpare verbis et simplices decipere. Magistri dicti sunt a magisterio seu arte docendi omnes enim praemissas subsequentesque males quaestus species: hi, senio confecti aut corpore debilitati adeo quod ad artes proficisci nequeant, remanent domi, ibique imitantes gramaticos, poetas, retores, dialecticos, philosophos, legistas, canonistas, sacrosve theologos, pueros suos instrunnt ad perniciosum quaestum. Docent enim non solum linguam obscuram, sed artem moresque quibus decipient imperitos. O profunda et vetus scientia, quae temporum negligentia hominumque ignavia, cum non sit minima nec spernenda inter liberales tamen artes, nunquam reposita, ut obtineret inter eas octavum saltem locum! Ciamberlanus igitur, cuius tanta extat fama, nec unquam temporum oblivione delenda, dum Camerini legeret doceretque omnes superiores subsequentesque artes adeo quod discipuli plurimi non mediocriter in ornnibus valebant, astabat aliquando Piergentili seniori Camerini Domino, interrogatusque ab eo est, an ipsum Cerreto vicinum, callentemque Cerretanorum mores in aliquo crederet posse decipere. Cum is autem ultro sese spopondisset, et cum Domino aureos quinquaginta dandos in pretium futurae victoriae habendae infra sex menses deposuisset, paucos post dies ex discipulis suis duos peritiores deligit, instruit, et Germanorum habitu vestit, Camerinum eos mittit. Hi clibanarium Domini adeunt, qui germanus erat, Ducisque Sterligonensis filios se dicunt, patris iram incurrisse, eiusque furorem effugisse, ut Summi Pontificis interventu, in pristinam patris redirent gratiam, nonnullas ostendunt bullas, quas clibanarius ad Principem dicit, eique dicta ac facta nostra lingua exponit: homines vero fingunt italam linguam nec intelligere, nec loqui scire. Post longum habitum sermonem, Princeps pietate motus, decem aureos coram civibus largitur, prandium donat, commodat equos. Post quorum discessum Ciamberlanus Dominum adiit, depositum ut sibi detur instat obtestaturque se suis discipulis ab eo apprime edoctis, eum decepisse,

et quod non erant Ducis Sterligonensis filii, sed ex Montesancto discipuli ab eo edocti. Clibanarius adfirmabat teutones esse, et in pignus mendacii caput deponere temptat. Tandem ex Tolentino, a principe securitate donata, redeunt loquentes nostra lingua, et affirmantes unde et qui essent. Tum Princeps aliquantis per erubuit, tandem depositas pecunias Ciamblerano victori dari iussit, quas sua liberalitate accipere renuit, et Principi restituit. Deinde a Principe interrogatus quo ordine discipulos instrueret, inquit: «Nostrum primo idioma, deinde praedicandi ordinem, situm et mores cuiuslibet nationis et provinciae edoceo; ultimo ingentes fallacias, quibus maiores nostri ingentem consecuti sunt pecuniam, ut et ipsi quoque discant persimiles invenire; et ita edocti annis tribus, illi qui aliquali vigent ingenio, licentiantur, et ad unamquamquam speciem deceptionis non mediocriter valent. Ego vero senio confectus, impotens proficisciendi, hic legendo docendoque non minus mihi utilis sum quam biando». 24 Alarinati, a farina nomen consecuti sunt. Quaerunt isti tantum farinam pro conficiendiis hostiis, ut sanctifica et oblationes gratas Deo pro piandis mortuis faciant, et sic, ab unaquaque domo licet farinae pusillum accipient, tamen per diem non parum consequuntur. Aliquando aiunt se velle facere nonnullos panes benedicendos, dandosque in devotionem fideli populo, sic panis Beati Nicolai de Tolentino, et panis Beati Dionisli pro medicamine contra rabidos canes et homines; mulierculaeque ingenii debiles, ut bucellam panis consequantur, farinae tantum praebent, quod per diem familiae superesset. Apud Cassiam, hoc anno, quidam pro conficiendo panem Sancti Nicolai septem salmas farinae collegerunt. Erant hic in Monteluco duo heremitae, videlicet frater Angelus senior et frater Hieronymus qui, pro conficiendis hostiis solum, tantam farinam per dies octo collegerunt, quod ex praetio a caupone quodam florenos quatuor receperunt. Isti ambo et simul quaerebant duos portantes sacculos, et dum quid plusculum collegissent, unus domum reportabat, ne admiratione populum afficerent petendo quod habebant et supererat necessitatibus. 25 Alampadati, a lampadibus denominati sunt, de quibus honeste loquendum est more iudicis, qui ex pluribus reis unum tantum captum damnatumque tenens, ne absentes et capiendos detegat patefaciendo damnati scelus, ait cum uno socio cuius nomen pro meliori tacetur, sic nos neminem nominando dicamus, quod isti, in maiori hebdomada quam Sanctam dicimus ac credimus, et aliis praecipuis Sanctorum festis diebus, quaerunt oleum pro lampadibus et lucernis ardentibus in conspectu Domini, vel alicuius

imaginum Sancti, et tantum consequuntur quod sufficit pro tota familia per annum totum. De his non est opus ponere exemplum, quia in dies videre potest Reverendissima Dominatio tua, immo scit et experitur cum damno suo impariendo. Quod autem nonnulli colligentes, et quod superest lampadibus, lucernis et necessitatibus domus vendant, non est durum nec difficile persuadere, cum ultro sese offerant exempla non modica. 26 Reliquiarii, dicti sunt a reliquiis Sanctorum, quas saepe secum portant aut portare dicunt, et licet in iure prohibeantur veteres reliquiae ostendi extra capsam, novas autem nullus possit adorare, nisi de Romani Pontificis auctoritate fuerint approbatae. Hi tamen portant mortui forte hominis peccatoris aut bruti animalis ossa, passimque ostendunt quaestus causa. Credo R[everendissimam] D[ominationem] t[uam] minus oblitam (esse), quod frater quidam, dum penes te moram traherem istic pluribus diebus, in concione sponpondit se tertio die Paschae obscurum lignum S. Crucis, lapidem sepulcri Domini Iesu Christi, et multorum Sanctorum reliquias, quas ipsem ex Hierusalem attulisse attestabatur, licet nunquam Ravennam usque pervenisset: clamabat in concionibus, quod, si quis aliqua aegritudine laborabat, ad sanctas reliquias accederet, et cum infirmo membro illas tangeret, recepturus illico sanitatem. Petebat pro pretio muneris huiusmodi et gratiae, tot pecunias quae sufficerent pro pretio unius asini, qui eum ferret ad balneas, pro cura decorationis vessicae; parum advertens quod imitabatur malos medicos, quia alienis aegritudinibus profitentur se tenere medicinae scientiam, in suis sibi opem praestare non possunt. Nonnulli vero parum advertentes quod tam sanctissimis reliquiis pudenda tangere non erat licitum, aiebant: «Hic homo alias salvos facit suis sanctissimis reliquiis, sibi salutem praestare non potest». Ego vero talium assertioni credens, ipsa die iussi populum omnem istic in maiori ecclesia ad me venire, et sic sanctas eius reliquias muris tantum ostendit, et ipsis praestitit sanitatem, unde in hominis indignationem pergrandem incurri, et me perpetuo odio prosecutus est. Sed inter caetera memoranda deceptorum et fallacium hominum exempla, nequaquam obmittendum videtur quod Lucas de Vepre et Crucianus de Montesancto dignum fecere memoria ac notandum veteri et recenti historia. Hi reliquiarii optimi, olim in Galliam proficiscentes exsiccati cadaveris brachium amputaverunt, et Hebeluam cum pervenissent, quae communi Gallorum proverbio felix appellatur ex quo caret mendicantibus, et eam invenissent longo tempore epidymiae morbo fatigatam, se ab invicem separaverunt. Lucas enim induxit habitu minorum fratrum, in platea pulpitum

ponit, ascendit, orat, concionatur multa de religione Beati Francisci, de virtutibus, meritis, passionibus et miraculis Beati Sebastiani, dumque se deferre secum tanti martyris brachium, quod si qui devote tangerent aut deoscularentur perpetuo fieri immunes ac tutos ab epydimiae morbo; verum cum pergrandi vigeretur inopia, nec posset tam sanctas reliquias, ut decebat, puro circumdare argento, pro tanto munere et beneficio a quoque Sancti devoto quid parum argenti efflagitabat. Quibus dictis roboratisque non una scilicet multorum sanctorum patrum auctoritatibus ex adverso illicoque Crucianus, praedicatorum habitu indutus, alium erexit pulpitum, et: «Prothemat - inquit - cavete a falsis fratribus qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces» , et cum longum sermonem contra hypocritas habuisse, invehit in Lucam, in populumque conversus, ait: «Scitote carissimi, hunc non esse fratrem Beati Francisci, sed purum laicum et cerretanum, versipellem, loquacem, mendacem, deceptorem et malorum omnium magistrum, non una morte dignum. Brachium autem quod ostendit Beati non Sebastiani, sed sectum ex corpore hominis propter crimina suspensi: capite, rapiteque eum sublimem ad carceres, suspendite tormentis, et comperta hominis fallacia digna poena punite; sin autem, me acris exurite flammis». Dum haec Crucianus vehementer diceret, populumpue perurgeret, Lucas innectis manibus erectisque ad cœlum oculis, quodammodo videbatur Domino commendare agonem snum: cum autem aliquantis per subticuisse ter in cœlum grandem vocem extollit dicendo: «O Deus - velut si Patris et Filii et Spiritus sancti auxilium imploraret - ecce venerunt gentes in haereditatem tuam et polluerunt templum sanctum tuum: quid tua cessat iustitia? quid tuus cessat gladius bisacutus qui totiens graves inimicos ultus est? quid tua, beate Francisce, cessat oratio? quid tuum cessat patrocinium et advocatio? Appellasti enim fratres tuos fratres minores et omnes qui eis praesunt humilioribus nominibus vocas velut ministrum, custodem, et guardianum, quasi omnes simus oves, omnibus lupis obsessae: custodi caulas tuas a morsibus luporum huiusmodi fratrum, qui ob ingentem eorum superbiam praedicatores se falso profitentur; quid tuus gladius, Beate Sebastiane, cessat? pugna pro famulo tuo, qui die noctuque tuam praedicando gloriam ingentes suffert labores et talibus subiicitur calumniis, et si non sum vere frater, et tuae non sunt verae huiusmodi reliquiae, mitte de cœlis urentem ignem qui me comburat, sicut Elias propheta quinquagenarios igne consumpsit . Si autem vera sunt quae praedico, ulciscito iniuriam tuam contra hunc perditum hominem rabilumque

turpissimum, culus os plenum est amaritudine et dolo. Sepulchrum patens! guttus eius lingua sua dolose agit, vindica illum Deus! ». De hinc in populum conversus, detecto capite, flexis genibus, inbet divinum iudicium, divinamque implorare vindictam super eorum alterum falsa disserentem. Emissa voce, et populi oratione, Crucianus aciem oculorum figit in obliquum, contrectat digitos, brachiaque ad mentum, caput in sinum declinat, talos ad nates usque protrahit, genua ori coniungit, et quasi in globum redactus ad instar lapidis super pulpum cadit. Clamat Lucas, clamat populus divinum venisse iudicium, multa profert Lucas in concione exempla de blasphemantibus Deum et Sanctos eius. Postquam murmur compressum est continuam orationem aggreditur: «Scitote - inquit - Dominum dixisse "Nolo mortem peccatoris, sed conversionem" et alibi "Convertimini ad me, et ego convertar ad vos" et rursus "Quacumque hora ingemuerit non recordabor amplius iniquitatis eius", laudatur Samaritanus qui misericordiam facit cum homine vulnerato. Orate, clamateque tecum pro salute miseri hominis, et facta oratione, ostendam vobis ingentem virtutem et potentiam sacrae reliquiae ». Illico descedens ex pulpite, ter crucis venerabilis signo signatum Crucianum tetigit dicens: «In nome del Padre, del Figliuolo et Spirito Santo, et de Sellano et de Monte Santo». Quo facto, statim oculos aperire, extendere manus, crura caputque erigere incipit, prorupit in vocem: accusat peccatum suum, confiteturque super se divinam sensisse vindictam: Lucam vero, verum fratrem Beati Francisci asseverat, verasque eas esse Beati Sebastiani reliquias et earum virtute se a digna morte redemptum; promittit vovetque se perpetuo obnoxium fratri Lucae dicturumque sese peccatum suum et ingentem Dei vindictam. Quo facto, omnes qui aurum argentumve domi habebant, velut ad pedes Apostoli Petri, ad fratrem Lucam deferunt. Congregato igitur auri pondo et argenti, Umbriam hilaris repetit, laetamque sedulo vitam dicit. Ecce qua arte levitates gallicas circumvenit et spoliavit. 27 Pauliani, a Paulo Apostolo ferunt se traxisse originem: vetant Beatus Hieronymus et qui eius vitae texuit historiam, dicere aut scribere Apostolum Paulum habuisse uxorem; et licet dicat «Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae». Lubent tantum hi quos dixi credere et praedicare eum fuisse virginem; nihilominus Pauliani ferunt se ab eo natos esse, et iuxta Evangelium serpentes tollunt et si quid mortiferum hauserunt, non eis nocere aiunt, secundum eorum sententiam. Nam tempore quod apud Melitensem insulam Beato Paulo ex naufragio fugienti manum momordit vipera, obtinuere ut ipse, posterique

eius, se et alios possent quadam cantilena a venenis tueri. Hi ut fidem verbis adstruant, parvo quodam acu brachium aut tergum spissis foraminibus perforant, demum fuliginem, comminutosque carbones et saepe nonnullarum herbarum succos superfundunt et perforatam pellem fricant medicaminibus superpositis; caro autem perforatam pellem hac attrahit, et combibit, perpetuoque retinet. Et sic nigras maculas in alba pelle tenentes serpentis formam proferunt et ostendunt. Demum, capta venenosa animalia, primo inedia domant, deinde apposito butiro furfureque ventrem adeo replent, quod ad vomitum harum rerum venenum etiam convomunt, et assumptis medicaminibus, tuni dentibus suis saepe lacerant, et a simplicioribus tot hauriunt pecunias uno mense, quot uno anno lucrando contentus essem. Non expedit hic ponere cantilenas quas per dies proferunt, cum pueri vix ablactati mente teneant. Pauli pontificis tempore, Romae rusticus quidam sagax aspidem olla clausum tulit, et Pauliano multa pollicenti morsum in linguam edi fecit: cum igitur animal minus eius more purgatum esset tantum protulit veneni, quod Paulianus tumens crepuit medius, nec virtute Pauli data apud Melitem Pauliano profuit, quia forte degener erat. 28 Alacerbati, sive prothobiantes, dicti sunt ab acerrimo ingenio, quo freti, maiores quam aliarum specierum quaesturas aggrediuntur, et alios biantes biant. Prothobiantes autem, qui biantum principes nuncupantur, isti aliorum omnium peximi sunt, alios omnes licet variarum specierum facilime circumveniunt, tantae sunt sagacitatis, et quamquam multi non sint audent tamen se Cerretum conferre, et ad finitimos populos questuariae arti deditos. Fingunt enim apud huiusmodi homines se habere bistusciam sanctuarie a Summo Pontifice, aut alicuius magnae et potentis basilicae, oportereque secum non paucos ducere socios, et ita quaestus partes aliis vendunt, cum aliter illos quaerere non licet homini decretam provinciam ingredi, contra municipales cerretanas leges. Unde magni ponderis coram me «in praesentiarum» causa pendet, et si constabit coloritum, alias fratrem Petrum ordinis Beati Bernardi violasse banzam, id est quaesturam Idrontinam provinciam decretam per Ioanni [?], sicut asseritur, male hominem multabo violentem sacras sanctuariae leges. Accidit anno superiori, quod quidam huius artis non imperitus, verum magnae auctoratis et ingenii, et licet alienigena forte patrum mores a Ciamberlano doctus, Pontum accessit; ibique se praesbiterum quaestoremque Sixti Summi Pontificis missum ad molossam gentem seu pannonam affirmabat. Cum plures Pontani Cerretanique cuperent tantae legationis non fieri expertes sese ultro

obtulere. Is vero pro bistuscia aureos quindecim exigebat, et sic sanctuarie partem subdelegabat, et hominem tantae auctoritatis constituebat participem: cum autem innotuisserent talibus populis prothobiantis fallaciae et omnes bistusciae sua manu conscriptae et artes quibus eos circumvenerat, quamplurimi deceptorum ad me confugerunt supplices, orantes postulantesque ut ignoscerem peccatum suum, et eis opem praestarem ad recuperandum male expositas pecunias. Quo auditio, statim meis codicillis mandavi pontano praetori ut deceptis biantibus a prothobiante subveniret, et sic pecunias pene desperditas mea opera recuperaverunt. Idem igitur Ioannes Grandis, de quo in principio facta est mentio, ita et in medio non est subtacendus : his diebus rediens ex civitate regali in montibus posita, iter agens inter tales populos, finxit se emisse Romae sanctuariam ad Hiberniam, Scotiam et Angliam, adeo quod impensam pro victu in diversorio non longe a Cerreto factam, illi qui instabant ut ducerentur ad tales Insulas, persolverunt; demum homini reverso Spoletum, quamplures haedos dono miserunt instantes suis litteris ut omnem familiam ex Lucastro, id est Cerreto, duceret, nec quemquam ex Salmaria aut Bardellono, id est Spoleto, vel Sellano recipere vellet, asserentes quod si quemquam ex huiusmodi locis secum duceret, cum sint homines ad tantam rem minus experti, unam chiepam, id est denarium, non erat reportaturus; inter quos valde instabat comes Fatius de Lucastro, qui ut suae virtutis praedicaret documenta, inquit: «Memini me quodam tempore in ferrariensi agro cum sutoro quodam et eius uxore contraxisse amicitiam, et demum devenisse ad compaternitatem; cum semel una cenaremus et decoctus anser appositus esset, os unum anseris in capite mensae reposui. Cum igitur commater me interrogasset quid de osse statuisse, respondi: «Postridie, solemne erit festum Beati Laurentii: inter missarum solemnia predicatorus, dicturusque sum de meritis, virtutibus et miraculis Beati Laurentii. Tunc, aperta arcula, ostendam os hoc serico involutum et mgentes reliquiae narrabo virtutes, cogamque homines ac foeminas et te quoque consciam os deobsculari ». «Cum igitur commater negavisset, diceretque se minime obsculaturam non sancti sed compsumti os anseris, pignora pro pretio unius par anseris penes virum deposuimus, quod eam omnino eram adducturus ad reliquias obsculandas. «Adveniente itaque festo die, et astante populo, induor linea albaque veste, collumque sericea stola circumdo, pulsantur campanae, praeferuntur luminaria multa; detecto capite, arculam elevatis manibus ad altare defero, evollo pituanum ad altibernium seu sanctuarium id est nates

ad altare, et sic more boni melferi, hoc est sacerdotis, in populum conversus, horas plures concionando de virtutibus sanctae reliquiae contrivi; enarro quibus infirmitatibus propositus eius deobsculatio, et quod multos olim liberavit ab aegritudinibus epydimiae, comitialis morbi, ilium, podagrae, cyragrae et febris, et, ut uno verbo omnia complectar, aiebam omnibus morbis praestare medelam, et sic multas chiopas biavi. Quo autem ad feminas virtutes quas etiam in viros dixi unam plus habet quam nullatenus propalarem, nisi scirem, et certo scirem, omnes loci mulieres valde pudicas esse. Virtus autem haec a me proponebatur, quod mulier impudica nullatenus ad sanctam reliquiam poterat accedere; quo auditio mulieres, et quae minus pudicæ erant, catervatim ad obsculandum reliquiam concurrebant. «Commater igitur mea secum autumat, et undique erant angustiae: si ad obsculandum accedebat, profecto victa, anserum pretium erat solutura; si non accedebat, ab omnibus impudica erat praedicanda. Et sic secum aliquantis per cogitans, optimam partem elegit, videlicet magis expedire anserum pretium solvere, quam pudicitiae aureum nomen amittere: deflexo humiliatoque collo, reliquiam quam sanctam aiebam, deobsculata est. Hac arte callidam commatrem superavi: modo, clarissime legum interpres, ex hoc et ex aliis quae tibi exempla praeponere possem, vales intelligere me tecum duce, cum non solum ignaros, sed etiam conscientiam saepe mulierem ad calmonam, id est elemosinam, compulerim». Unde cum non parum prothobias legum interpres, licet ioco fecerit, lucratus sit, didicit tamen mirabilia exempla, quae in opusculo placuit inserere. Dum autem homini iocundo ac faceto ostenderem, diceremque me cudentis libros gratia conscripsisse, et an mihi magis expediret librum homini tradere, aut cerretanis vicinisque populis nuntiare ut librum maiori pretio emerent, fallacias occultandi gratia, respondit vir periocundus: «Quadraginta descriptsisti quaestuantium species, pone igitur quadragesimam primam in qua te pro exemplo declares, qui ea cogitasti quae alii nusquam cerretani et alii quaeritantes cogitare potuerunt, videlicet ab eis infamiae timore excerpere, mirum, et tunc te mei peximum et aliorum invenies omnium in calce libri velut maioris pretii conscriptum, cuius iniquitas tantum alias excellit, ut nequeat sicut mihi et aliis nomen invenire». Risimus multum per humani hominis facetum responsum. 29 Calcidarii, licet astu iocundi, tamen quaestorum genus sunt dicti a dando, et calice. Indunnt enim novam quandam inauditamque religionem optimis suis persuasionibus et hypocrisi: mulieres quae per annum peperint cogunt a die Palmarum

usque ad octavam Resurrectionis diem, empto cereo, dietim missae interesse semper tenendo eundem cereum in manibus non tamen accensum, ne contingat igne consumi; sed si qua mulier adeo religiosa fuerit, ut velit potius ardenter quam extinctum manu tenere continuo accensum frustum candelae, mulierculae porrigunt aientes il lius candelae lumen Deo gratum magis cum sit benedictione repletum, et prius lumen praestiterit in sacrificiis, cogunt quoque illas munera deferre ad altare; testantur hi viri optimi tali piaculo puerperas magnopere fecundari, partumque ab omni fascinatione liberari ac tueri. Ultima vero die quaelibet puerpera pro confirmatione tantae religionis defert vas optimo vino repletum, panes duos secundum oblationem Melchisedech, sed ut aliquid addant sex ova etiam porrigunt. Dum autem pro confirmatione charitatis mos valuisse ut omnes mulieres tales ultima die cum sacerdote pranderent, Donnus Philippus huius sectae, licet astutus vir tamen perhumanus, volens se tali onere et impensa liberari advocatis mulieribus, inquit: «Nequaquam expedit aut honestum est, ut tot mulieres una die, absentibus viris, cum sacerdote comedant, hoc non est de substantia, sed de ceremonia benedictionis: ideo estote liberae a tali observatione prandii ». Sic vir astutus se et alias calicidarios tali impensa liberavit. 30 Lotores, dicuntur a lotione, vel a lavando. De his solus locus reperitur apud Sanctum Felicem de Valle Narci: talis miranda religio nondum extendit ramos et radices, nec suos fines propagavit. Habet enim Andreas prior huius loci ante altare concavum lapidem et eo repleto aqua Naris fluminis, parvos pueros et infirmos lavat. Dicit enim talis aquae virtute parvos statim mori, aut evehi et extolli in magnas staturas et vasta corpora. Cum autem mulierculae cuperent extinctum diluvio gigantium genus suscitare frequentantes talem lotionem, prior fatigatus volens se tali molestia liberare sibique aliquid lucri facere, finxit dormienti nocte divinitus revelatum quod, multi licet pluries loti tali lavacro non crescebant in maiora corpora, quia lavabantur nec vestimenta illico dimittebant a sua prout decens erat devotioni tantae religionis si quis autem contritas aut peiores vestes detulisset, expellebatur, nec liberari posse dicebatur, cum imitetur maledictum Chaim qui pessima de toto grege Deo offerebat. Dum autem multi aegre ferrent optima vestimenta illico dimittere redimentes aequo minori pretio, et se minus crescere conspicerent, priorem consulebant, unde infortunium hoc eis magis quam aliis contingeret, quod aliis crescentibus ipsi solitam staturam tenerent: «Quoniam - inquit vir sagax - vestimenta non dimisistis aut contrita detulistis; nec iustum persolvistis pretium. Si igitur tali cupitis

infortunio liberari, oportet ut iterum huc vestes referatis pretium persolutum nequaquam repetendo ». Sic congregatas per annum vestes ad interamnenses nundinas defert, ibique et aperta vestimentorum taberna, tot congregat pecunias, ut non parvo onustus aere domum repetat, laetus laetam agit vitam. 31 Confiteentes, pessimum hypocitarum genus, dicti a confessione. Hi, ut sibi fidem adstruant, fingunt se divites, et singulis mensibus confitentur palam sacerdoti, populo vidente. Hoc magis faciunt, dum rei alicuius praemuntur inopia. Mazochius de Geppa dum frumenti charitate torqueretur, nec aliunde posset tali suo consulere incommodo, ad me venit, inquiens: «Sum ego mercator et vendor pannorum; interdum, sub expectatione pretii, cum contingat saepe emptoribus credere, aliquando festis diebus exigo pecunias, cum alio tempore non tali facilitate rei meae consulam. Modo confessus fratribus de observantia, ut magis crederem, absolvı nequeo: quare crucios torqueorque tam gravi vinculo detineri, deprecor, ut tu qui antistitis tenes locum et maiori fungeris auctoritate, me tam ingenti liberes malo»; dum astarent viri nonnulli prudentes, qui perdit hominis callebant mores, expectabant, quid ista inaudita religio et simulata santimonia sibi vellent, post longum habitum nobiscum sermonem: «Vellem - inquit - ut mihi venderes salmas quinque granii, et de convento pretio per menses expectares quattuor». Risimus illic omnes dum finem hypocrisis et simulatae religionis conspiceremus, dum tanta sanctitas mercatura et frequens confessio ad commodum frumenti aspiraret, nec cognita calliditas homini profuit, quia vacuus recessit. 32 Semifoenorequites, denominati sunt a semi, quod est medium, a foenore et equitibus: isti non proficiscuntur quaestus causa e domo, sed volentibus emere sanctuarias pro expeditione bistusciae, id est bullae, mutuant pecunias hac adiecta conditione, quod si prothobianti contingat ducere quindecim equos , aut minorem vel maiorem numerum, ipsi pro mutata pecunia possint ponere tertiam partem equorum, et cum de more praefigatur stipendium unicuique aureorum decem per mensem, ipsi ponunt tot anthebos, id est famulos, qui descendant ad tertiam partem proficiscentium, et cum unoquoque eorum pro foenore paciscuntur, ut stipendium partiantur. Sic domo residentes dimidium mercedis equitantis pro foenore recipiunt, quorum optimi sunt et qui magis rei invigilant. Persimon de Cerreto, Ioannes Georgius de Paterno, Panella et Marzoccus de Monte Sancto, idem Persimon domino Bartholomeo de Cerreto volenti obtainere sanctuariam in Germaniam et Russiam, cum pecuniae deessent pro

tantae rei expeditione, de ducentis aureis subvenit, hoc pacto inito, ut quinque equos poneret in numero quindecim, quos ducere parabat, sicque locatis locis vigintiquinque aureos quolibet mense pro foenere mutuatae pecuniae recepit capitali salvo; et cum per annos duos abfuissent, sexcentos aureos pro foenore et ducentos mutuatos recepit, et ita domo residens usura bia bibit biantesque consumit. 33 Crociarii, a croco nomen accepere; peximum genus hominum parum distat a cagnabaldis. Ii, ut plurimum, sunt ex agro cassiano descendentes in Regnum Siciliae et alia loca ubi copia non est croci, illud vendentes et saepius commutantes cum argento et auro et pretiosis gemmis. In quorum numero Noctula est de Roccha Tamorum, vir profecto sagacior angelis qui ceciderunt in aeternas noctis tenebras. Is, cum quodam die apud Hidrontum mulierem admodum fatuam pulchris indutam vestibus gestantem manu anulum cum smaragdo magni pretii pactum inivit, ut decies croco aequaret gemmae pondus; sic minus una uncia croci ultra vigintiquinque aureorum gemmam recepit. Hoc suepe contingit tali generi hominum qui multis abundat gemmis auro et argento croco comparatis. 34 Compatrizantes, a compaternitate nomen accipiunt, qui, cum habeant uxores pregnantes, cogitant duo: videlicet se impensa partus et nutricis liberare, et magnatum aucupare favores, invitant enim magnos viros ad compaternitatem, ut ab eis munera uxor et parvulus consequantur, et in rebus suis illorum queant uti praesidio. Quidam Modestus de Diruta cuius maiores ex valle Narci traxerant originem, dum Perusli moram traheret non mediocri familiaritate potiebatur Cardinalis Constantieni tunc legati Perusii, qui cum haberet uxorem pregnantem praecibus multis coegit eundem Cardinalem cum primariis de familia ad compaternitatem, a quibus puer de sacro fonte lavatus et commater ultra triginta aureos assecuti sunt. Vir bonus statim profectus est praeturae Mevaniae: «Tum - inquit - valeant qui dolent numero filiorum et ortu. Ego laetor cuperemque dietim mihi nasci filios si nascituri hoc modo fierent onerosi». Ita sacramentorum potissimum ad salutem, ad commodum convertit temporale. 35 Affamiglioli, dicti sunt a familiola, hoc est a numrosa familia cuius singuli parvi existunt. Isti sunt viri desidiosi, tardi ad labores, proclives ad crapulas, qui cum multo ocio tabescant, aliquando necessiarum rerum praemuntur inopia, et dum labores fugiunt configuiunt ad mendacitatem et quaestum, et cum natura ipsorum non paucis adiumentis contenta sit, ut uberior eorum ventri queant subvenire, simulant se onerosam inutilemque habere familiam. Ciampuglia de Cesello, homo summae voracitatis et

laborum expers, qui libere dicere poterat terentianum illud quod felicissimum putant «nusquam uxorem duxi», insimulabat tamen vix posse uxorem et filiolos liberare a fame. Instante annonae charitate, magnum deferens sacculum, hostiatim quem fugientem insequebatur panem plurimumque per diem collectum vesperi vorabat, sicque brevi tempore adeo abdomine tardus factus est, qui in scangiardo, id est in hospitali residens, transeuntium elemosinis tristem agebat vitam. Ita mendicitas et mendacia eius debitam coegerunt poenam dare. 36 Pauperes verecundi nomen habent a paupertate et verecundia. Isti etiam sunt viri desidiosi et in plurimum praesunt fraternitatibus laicorum, et cum noti sint erubescunt pro se mendi- care, sed facta quadam pietatis specie sibi haud parum prosunt: fingunt plures nobiles et magnos viros, quibus obstat res angusta domi ad confratres confugere, et ab eis eorum petere indigentiam et inopiae subvenire, cum parati sint potius mori quam publicas suas facere necessitates, unde tali se pietate motos huiusmodi indigentibus suo labore subvenire dicunt. Quo auditio honestae divitesque matronae timentes, virorum et familiae casum ad taleque posse infortunium pervenire formidant, adeo latas elemosinas porrigunt, quod quid dent minus cogitant: hoc excogitato aucupio non pauperibus verecundis sed divitibus sibi minus erubescientibus praestant victim atque vestitum, non ad tollerandam necessitatem, sed ad expellendam voluptatem; de hoc genere hominum non placuit exemplum ponere, cum multis locis reperiantur ne contingat multos offendere, et scribentem inutiliter fatigarem. 37 Morghigeni, dicti sunt a morgana, id est campana secundum idioma cerretanum. Isti sunt sagaces, et ea quae ad honorem Dei et populi salutem ordinata sunt ad quaestus occasionem sumunt; dum enim pecuniis indigent, deponunt campanas de campanili et super iumentum aut dorsum hominis imponunt, et per civitates et villas insequentes simulantes dicere multas orationes pro benefactoribus exposcent pecunias pro persolvendo campanae pretio, quam nuper emptam dicunt. Frater Antonius Barbatus eremita apud sanctum Bonifatium in Monte Luco dum pro vestimentis pecuniis indigeret, deposita campana de ipsius eremitorii campanile, per quendam Antonium ministrum fabrimurarii aere conductum per totam spoletanam urbem perferri fecit: ipse insequebatur suaque importunitate ac temeritate sagacissimos spoletanos cogebat ex fogliosa, id est bursia, aera promere, et sibi pro elemosina et campanae pretio elargiri, quorum multi ad me venientes, remque hanc referentes a risu et cachinnis nequaquam poterant se continere, cum eis minus suffecisset dicere

«Deus tibi benefaciat», importunitate tamen, aiebant, se superatos. 38 Bigamizantes, viri novae nuperque inventae sectae inauditae ex cogitataeque malitiae, a bigamia dicti. Ii contra prohibiciones canonicas quibus vetitum est ne coniux per diurnam absentiam consortis coniugii ad secunda vota transeat, tamen omni nixu conatus modo tentant obtinere privilegium et facultatem proficisci ad Pannoniam atque Valachiam et ad alias provincias Turcarum Regno finitimas, ibique non obstantibus adversis canonibus dispensare posse ut viri feminaeve, quorum coniuges in manu atque captivitate Turcarum degunt, ad secunda vota transeant. Instant modo abbas unus praesbiter et pontani duo, quorum nomina honestatis causa subticemus, in Romana Curia pro expeditione loistusciae, id est bullae, ut queant ad tantam sanctuarium proficiisci. Profecto si obtinebunt, exhaustis aere provinciis, onusti grandi pecunia domum repetent, proderitque illis gentibus cum sint minoris numeri, nec grandem possint congregare exercitum ad substinendos tot tantosque impetus et elidendos improbos conatus Turcarum, quia mulieres et viri propter viduitatem steriles plures parient filios, provinciamque replebunt novis suo tempore bellatoribus. Huius sectae nullum habeo exemplum quod nondum profecti sint, sed cum redibunt sciscitabor quoniam pacto, quo uoce astu barbaras gentes deluserint. 39 Prothomedici, dicti sunt quasi medicorum principes. Isti simulato zelo et amore humani generis p[ro]ae se ferunt condolere imfirmitatibus hominum. Impetrant enim a principibus commissiones et censuras adversus quoscumque medentes et aromatarios; perquirunt enim aromatariorum tabernas et singula farmaca nituntur videre, ut inutilia comburant; medicos quoque non habentes gradum mederi prohibent, sed si quis profert de thesauro suo nova aut vetera illico secum dispensatur, ut hic mederi possit, et ille medicamina vendere. Profecto si talis dispensatio transiret ad naturam, videlicet quod talis medicus doctior fieret, ex dispensatione et medicamina acciperent virtutes, nequaquam censerem mutilem; verum cum infirmis minus prospicit, ipsis prothomedicis, medicis, atque aromatariis prodest multum. Quidam magister Caesar Patavinus, ut dicitur, cuius pater forte unde aliae sectae traxerant originem ortus est, impetrata commissione ex Urbe, omnes terras Ecclesiae aucupatur, hoc aucupii genere, pecunias. Sed cum d[icit] incidisset in sagacissimum Spoletanorum genus, et longa huius rei expeditione fatigatus, conceptam volens sitim extinguere ex maiore fonte aquam bibt, cuius frigiditate severi medici dentes obstupere, et omnem rigorosi examinis depositus voluntatem, adeo

quod non multum aere, aut multis praecibus corrumpebatur, adeo quod paucis acceptis pecuniis sine aliqua censura ab unoquoque recessit, quaerens alios timidiiores minusque astutos, quibus facilius posset incutere timorem. 40 Testatores, dicuntur a testamento, seu a testatione mentis; pessimum hominum genus et alti cordis, isti non aucupantur nisi principes magnos et potentes viros. Qui aliquando infirmi, aut infirmitatem simulantes, ut videantur magnopere affici, magnatibus condunt testamentum, magnatesque haeredes instituunt, ut postmodum redditia eis sanitate, illorum favoribus in eorum improbitatibus, cupidine quaestus seu ulciscendae iniuriae, abutantur. Sanctum quippe et divinum opus esset, ut de tali infirmitate nunquam surgerent, vel ut ab haerede statim necarentur veneno Georgius Antippi lucratus de Monte Miccone, qui perpaucia millia passus distat a Monte Sancto, dum spectini fungeretur officio apud Pictilianum, nec comes multi perditum hominem faceret, statim rei suae consulens magnam insimulavit gravedinem, adeo quod qui aderant de astuti hominis salute desperarent. Homo veterator, callens omnem fallendi modum, advocat tabellionem, condit testamentum, inscribit comitem haeredem, tabulas ad comitem transmittit, si quid vult addi, minui aut immutari, ut iubeat, licet nepotes suos prius instituisset haeredes. Quibus visis ac lectis comes, licet vir prudens, tantam concepit in spectinum benevolentiam, quod plures peritos collegit medicos pro salute hominis sibi dediti, ut arbitrabatur. Spectinus vero, cui facile erat de lecto surgere, per dies aliquot eandem simulavit aegritudinem, cumino et incenso igni superpositis faciem suam reddebat pallidiorem, ut se in magno periculo fuisse ostenderet, et ope industriaque tanti principis a morte revocatum. Redditus postmodum sanitati, suis munusculis, maledicentia, detractionibus aliorum, qui boni erant, principis maiorem aucupatus gratiam, in latentes suos prorupit furores, omnes bonos et graves viros qui aliquali benevolentia comitis illustrarentur humiliores depressosque reddere nitebatur: difficile foret enumerare et referre foedissima verba quae putrido de stomaco iaciebat quantaque arderet gula et avaritia dicere non expedit. Hoc quid mirum nemini videbatur, cum malo loco natus, malisque educatus moribus foret, cum aliter vivere non posset; sed magis stupebant omnes qui audiebant tantam principis solertiam diligentiamque in omnibus rebus agendis, in homine perduto esse obcaecatum propter testamentum, quod testantis non testabatur sed occultabat et detestabatur mentem. 41 Alter forte poneret in calce illud perditum hominum genus et sceleratam speciem quae

dicitur Christianorum Sancti Ioannis secundum eos, sed cum non deceat matronarum revelare turpidinem quae superstitionibus deditae sunt, et inhiant pro creatione filiorum, visum est mihi omnino tantum nephas fore subtacendum, ne contingat honestorum virorum legentium aures animumque offendere, nostramque foedare perditorum criminum relatione honestatem. Si qui scire anxii sunt, in quibus tales homines peccent, poterunt, ipsis referentibus audire, quibus cum turpe vivant, minus turpe est turpia referre.

Licet, Reverenda Dominatio, ars profunda sit, et multae potuissent species addi, cum innumerae sint fallaciae, tamen quae de novo invenientur uni istarum poterunt adhaerere, veluti pulli trepiduli, qui sub gallinae alis foventur et calefiunt; ne in longiorem prorumpam dicendi materiam, cui forte carta non suificeret, his quadraginta speciebus fallendi contenti sumus.

Dicto igitur de cerretanorum origine, diffinitione deductioneque nominum, ac de specierum exèòplis artibusque quibus homines imperitos decipiunt, dicendum profecto videtur de eorum idiomate et dictionibus, quibus loquendo utuntur ad fallendum, ut arbitror: ideo illas inferius describam. Eas ipsi Gorgones appellant, ut, puto, a capite Gorgonis dictas: nam, sicut illi qui Gorgonis caput in scuto aspiciebant in lapides vertebantur, sic isti suis sermonibus simplices homines ac mulieres attonitos reddunt, demum fortunis spoliant. Nos ergo opusculum hoc speculum appellemus, ut Medusa suam formam aspiciens vertatur in saxum, hoc est, ut homines ipsis improbis artibus dediti recognoscentes fallacias suas in hoc respiciant et convertantur, vel cogniti minus laedant.

